



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXVI. De divinâ Voluntate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

X.  
Idea divina  
sunt ratione  
nostra infi-  
nita.

Quæres quintò, quot sint divinæ Idea? Res-  
pondetur, Ideas formales, ut supra dixi, non esse  
plures, sed realiter loquendo, unicam tantum in  
Deo esse rerum omnium Ideam, ipsam scilicet ejus  
cognitionem, per quam res omnes indivisibiliter  
representat. Ratione tamen nostrâ sunt infinitæ,  
tot scilicet quot sunt *Ideæ* objectivæ, seu res per  
scientiæ practicæ directionem à Deo producibiles:  
ita Suarez hic, lib. 3. de Attrib. cap. 5. num. 14.  
Granado 1. parte, tract. 7. disp. quintâ, num. 2.  
& alii.

Quæres sexto, quomodo differant *Ideæ* & exem-  
plar? Ut plurimum sumuntur promiscuè: dici tamen  
posset, *Ideam* spectare res pure possibilis, seu quæ de  
facto, nunquam producerentur, ac proinde esse scienti-  
am ad res producendas, in actu primo directricem.  
Exemplar verò est scientia Dei prout refertur ad res,  
non pure possibilis, sed actu in aliqua temporis dif-  
ferentiâ faciendas, ad eas scilicet, ad quas pro signo  
posteriori terminatur scientia visionis. Quod po-  
stremum docere videtur S. Thomas hic, q. 15. a. 1.  
Et hæc de *Ideis*, & Scientia Dei sufficiant.

XI.  
Idea & ex-  
plar quomodo  
differant.

## DISPUTATIO XXVI.

### De Divinâ Voluntate.

**R**ECTVS doctrina ordo postulat, ut tractatui de Scientia Dei, tracta-  
tum de ejusdem Voluntate subjiciamus, quedamque circa illam, ut de  
Scientia fecimus, inquiramus. Ejus itaque inprimis naturam investigabimus;  
quæ cognitâ, haud difficilis ad alia, quæ in eâ reperiuntur, erit progressus.  
Quibus tamen examinandis eò minùs necessarium erit diutiùs insistere, quòd  
non pauca ad eam spectantia, in Tractatu de Scientia, ob magnam inter utrâm-  
que hanc facultatem connexionem, sint discussa. Primò autem de necessariâ  
Dei Voluntate, mox de liberâ agemus: qua questione nihil in totâ Theologica-  
rum Disputationum serie difficilior.

### SECTIO PRIMA.

#### Præmittuntur quedam circa Volun- tatem Divinam.

I.  
Auctoritate  
ostenditur,  
dari in Deo  
voluntatem.



**S**UPPONENDUM inprimis tanquam  
certum cum S. Thoma hic, quaest. 10.  
art. 1. dari in Deo voluntatem: quod  
probatione non indiget, tum quia  
Scriptura passim de Dei voluntate  
mentionem facit: sic Regius Prophe-  
ta Psalm. 113. v. 3. *Omnia, inquit, quæcunque voluit  
Dominus, fecit in celo, & in terra.* Omnia etiam  
dicuntur in voluntate Dei posita esse. Unde Apostolus  
ad Rom. 12. v. 2. ait: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei, &c.*

II.  
Idem variis  
rationibus  
fundatur.

Ratio etiam naturalis id ipsum suadet, voluntas  
siquidem est perfectio simpliciter simplex, & con-  
sequenter Deo non neganda. Deinde, vel ipso natu-  
ræ instinctu homines ad Deum, semper in suis  
necessitatibus recurrunt, ejusque auxilium implo-  
rant: Omnibus ergo à natura inditum est, ut exi-  
stiment Deum velle iis opem ferre, alioqui hoc  
frustrâ facerent. Tandem Deus est laude omni ex  
parte dignissimus, non naturali tantum, seu ob  
summam naturæ ejus excellentiam; sed etiam mor-  
ali, quæ nimirum debetur actibus moralibus seu  
liberis: hi autem, sicut & sanctitas, sine voluntate  
non consistunt.

III.  
Diversi in  
Deo ratione  
nostrâ dan-  
tur volun-  
tatis actus.

Deinde, sicut in Scientiâ Dei plures actus supra  
distingimus ratione nostrâ diversos, ita plures  
etiam voluntatis actus considerare in Deo possu-  
mus, tum prosecutionis, ut amorem, complacen-  
tiam, &c. tum fugæ, ut odium, detestationem, &  
alios hujusmodi, quos circa objecta creata habere  
Deus potest.

Ulterius, Deum amore saltem latè sumpto,  
amare seipsum, tanquam certissimum docent om-  
nes Theologi: & ratio videtur manifesta, cum Deus  
sit objectum perfectissimû, & amore dignissimum,  
utpote bonitatis simpliciter infinitæ, & alioqui non  
foret perfecte beatus; ad hanc enim spectat amor  
& fruitio summi boni. Amor ergo Dei respectu  
ipsum est necessarius, idque non quoad specifica-  
tionem tantum, seu quòd non possit se odisse, cum  
nihil in se cernat mali, sed quoad exercitium; Deus  
siquidem, bonum infinitum cum sit, idque in omni  
bonitatis genere excogitabili, rapit ad se necessa-  
riò suam voluntatem, nec ab amore sui cessare  
illo pacto potest.

IV.  
Inprimis  
Deus amat  
seipsum.

Amor, qui  
Deum amat  
se, est neces-  
sarius.

Dici verò nequit hic amor liber, nisi per amo-  
rem liberum intelligatur spontaneus, seu liber à  
coactione: quo sensu intelligendi sunt Scotista,  
dum dicunt Deum amare seipsum liberè, nempe  
amore libero à coactione. Quo etiam modo di-  
cunt, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio  
liberè; quamvis sit impropria locutio, cum libertas  
simpliciter seu absolute dicta, sit libertas à necessi-  
tate; quo sensu certum est nec Deum se amare, nec  
Patrem & Filium producere Spiritum Sanctum li-  
berè, cum sit objectum infinitum, infinite attra-  
ctivum, & applicativum infinitè. Eò autem minùs  
congruus est ille loquendi modus, quòd in Bulla  
Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaëlem Baïum,  
censuretur hæc illius propositio 39. *Quod voluntariè  
fit, licet necessitate fiat, liberè tamen fit.* Deus ergo  
spontaneè, voluntariè, ultro se amat, id est, in-  
finito quodam pondere & inclinatione naturæ, &  
consequenter immunis est ab omni coactione &  
violentiâ; necessariò tamen se amat, ita scilicet, ut  
nullâ ratione ab actu illo cessare possit.

V.  
Quo sensu  
dicitur ali-  
qui Deum  
amare se  
liberè.

Deus spontaneè se amat, non liberè.

### SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Vtrum detur in Deo actus primus volendi.

**I.** **R**ESPONDEO eodem modo quo supra Disp. 4. sect. 7. dixi de scientia, esse scilicet à parte rei, & nemine cogitante, actum primum volendi, sicuti sciendi, licet non sit distinctus realiter ab actu secundo; essentialiter quippe identificatur cum actuali volitione, sicut actus primus intelligendi cum intellectu. Sermo autem est de actu primo intentionali; nam non esse in Deo actum primum physicum, vel intelligendi vel volendi, ne quidem ratione nostra, certissimum est: cum enim in re Deus non efficiat physicè suam vel intellectionem vel volitionem essentialem, si quis per rationem hujusmodi aliquid in eo conciperet, fingeret non minus quam si in eo conciperet rationem corporis.

**II.** Probatur ergo Conclusio: Vita ut sic in actu primo est aptitudo seu exigentia ad habendam perfectionem suam ab intrinseco, & consequenter talis vita in actu primo, ut intelligendi, volendi, &c. est exigentia ad habendam talem perfectionem ab intrinseco; hæc autem ratio communis est Deo & vitæ creatæ: differentia verò est, quòd viventia creatæ, cum non habeant perfectionem suam ab intrinseco per identitatem, modo perfectissimum, qui competit Deo, habere illam debent per productionem realem, adeoque in illis fortè nunquam est principium intentionale in actu primo sine principio physico. Confirmatur: nam, ut Disp. illà 4. dixi, licet Ens in Deo non minus identificetur essentialiter cum actuali existentia, quam aptitudo ad intelligendum & volendum cum actuali intellectione & volitione, abstrahi nihilominus potest ratio communis Entis, seu aptitudinis ad existendum, communis Deo & creaturis, ut nullus fermè negat: ergo est actus primus seu aptitudo ad intelligendum & volendum. Confirmatur secundò: multa alia prædicata abstrahuntur communia Deo & creaturis, quòd nimirum eorum ratio in utriusque reperitur; ergo & ratio vitæ.

**III.** Secundò probatur, & magis explicatur conclusio: nam si concipiamus id præcisè, quòd Deus habet in quantum dicit aptitudinem percipiendi aut volendi objectum, non intelligimus cum in actu secundo in illud tendere: ergo hic conceptus præcisè non est actus secundus, sed solum aptitudo quædam seu radix illius; ergo per aliud, ratione nostrâ, prædicatum concipimus Deum habere actualem tendentiam in objectum: hoc autem prædicatum est actus secundus. Ut ergo est aptus tendere, est actus primus, seu remotè & radicaliter tendens in objectum; ut actualiter intelligens, est actus secundus.

**IV.** Tertiò probatur: ponamus Deum, ut volebat Aristoteles, esse agens physicum necessarium, seu necessariò operari aliquid ad extra, & esse insuper realiter illius rei, Angeli exempli gratiâ, productionem, sicque esse tendentiam physicam respectu illius, sicut hic est tendentiâ intentionalis; adhuc præcendi mente posset conceptus virtutis seu potentie productivæ physicæ, communis Deo & creaturis, & actus primus physicus. Illa autem Dei virtus productivæ in eo casu formaliter intelligeretur reducta ad actum secundum per actualem productionem, ratione tantum distinctam. Sicut ergo in hoc casu esset actus primus & secundus phy-

sicus indistinctus, ita ibi intentionalis.

Dices primò: In Deo non est hujusmodi actus primus, sed actualissima tendentia in objectum, ergo cum fingimus. Nego antecedens; ex eo enim quòd sit actualissima tendentia, non sequitur non esse in Deo actum primum, sed cum non esse distinctum à secundo: Deus enim, sicut verè convenit cum creaturis in hoc prædicato, quòd scilicet actu intelligat & velit, ita & in eo quòd aptus sit intelligere & velle. Sicut etiam, ut dixi, licet Deus essentialiter existat, potest tamen abstrahi ab eo conceptus entis, seu potentis & apti existere.

Dices secundò cum P. Hurtado Disput. ultimâ Metaph. sect. 2. n. 22. licet, inquit, negari nequeat abstrahi posse conceptum apti intelligere & velle, communem Deo & creaturis, non tamen potest in Deo conceptus ille vel mente præcendi ab actuali intellectione & volitione: contrahitur enim conceptus apti intelligere & velle ut sic ad Deum per actualem intellectionem & volitionem: ergo de intrinseco & formalissimo conceptu aptitudinis divinæ ad intelligendum & volendum est actualis intellectio & volitio: ergo non est actus primus, cum actus secundus ingredi non debeat conceptum actus primi. Respondeo, rationem intelligendi & volendi ut sic, seu tendendi intentionaliter in objectum, sufficienter contrahi ad Deum per aliud prædicatum, quam per intellectionem actualem, nempe, quòd sit aptitudo tendendi à se; hæc enim ratio illam distinguit ab omni aptitudine tendendi creatâ. Imò fortè per identitatem cum actuali tendentiâ non sufficienter distinguitur, non enim apparet aperta implicatio cur dari nequeat creatura rationalis, quæ sit sua intellectio.

Dices tertiò: Sicut vis illa in Deo perceptiva objecti, petit actualem intellectionem, ita actualis intellectio petit illam: ergo æquè erit actus primus. Negatur tamen consequentia, imò vel hinc probatur vim illam perceptivam esse actum primum; licet enim sese invicem petant, cum identificentur, diverso tamen modo se exigunt: una enim ratio petit alteram per modum actualis tendentiæ in objectum, seu in actu secundo, alia solum tanquam tendentia aptitudinalis: illud ergo quòd actualis intellectio peculiariter petit tanquam id cui tribuit formaliter denominationem actu intelligentis, est actus primus: sicut & è contrâ, id quòd exigit actum secundum, tanquam ulteriorem quandam tendentiam in objectum, est actus primus, sicque ex utroque hoc capite est in Deo actus primus, sicut & actus secundus.

Unde, licet realiter loquendo, omnia in Deo identificentur, ratione tamen nostrâ, & tribuendo singula singulis, ab unâ formalitate vel quasi formalitate habet quòd actu intelligat, seu velit, ab aliâ quòd sit aptus intelligere, &c. sicut ab aliâ habet quòd sit iustus, ab aliâ Misericors, & sic de cæteris. In creatis etiam homo ab unâ formalitate habet quòd sit animal, seu aptus sentire, ab aliâ quòd sit rationalis, & aptus discurre, licet in re identificentur.

Dices quartò: Actus primus esse aliquo modo debet prior secundo, quòd tamen hic non contingit, cum identificentur. Respondeo, ut etiam supra dixi, veram & physicam prioritatem non requiri, hic tamen aliqua prioritas reperitur; inprimis enim est prioritas in subsistendi consequentia; valet enim, intelligit, seu vult; ergo potest intelligere, seu potest velle, non è contrâ. Dices, si concipiatur actus primus intelligendi aut volendi in Deo, seu à se, valet etiam è contrâ; potest intelligere, ergo intelligit

**V.**  
Actualissima tendentia in objectum, non tollit in Deo actum primum.

**VI.**  
Dices: ratio apti intelligere, nec mente quidem abstrahi potest ab actuali intellectione.

Offenditur, posse has rationes ab invicem præcendi.

**VII.**  
Ex eo quòd actualis volitio petit aptitudinalem, non sequitur, illam esse actum primum.

**VIII.**  
Formalis, seu per rationem distinctio ad has rationes sufficit.

**IX.**  
Identificatio non obstat, quo minus sit ratio nostrâ, aliqua prioritas.

Sicut sciendi, ita & volendi datur in Deo actus primus.

Modus diversus, quo vita in actu primo competit Deo & creaturis.

Declaratur magis distinctio inter actum primum, & actum secundum volendi.

Concipi potest actus primus & secundus physicè idè identificari, ergo & actus primus & secundum intentionalis.

THOMAS I.

*Prioritas in subsistendi consequentia, quo modo intelligenda.*

intelligit: ergo hic conceptus non est prior subsistendi consequentia. Contra, ut enim unus conceptus sit prior altero in subsistendi consequentia, non debet sumi ut contractus: animal quippe, secundum omnes, est conceptus subsistendi consequentia, prior homini; & tamen si sumatur animal contractum, seu animal humanum, sicut valet, est homo, ergo est animal; ita è contra, est animal humanum, ergo est homo: sumi itaque debet in tota latitudine, hoc autem modo actus primus intelligendi vel volendi est prior actuali intellectu, & volitione, ut constat.

*X. Alius modus explicandi prioritatem inter actum primum & secundum volens.*

X. Deinde, alio sensu est prior hic conceptus; quatenus scilicet actualis intellectio aut volitio est ulterior tendentia in objectum, quam sit aptitudo illa, quæ solum est tendentia remota, radicalis, & in actu primo: & quoad hoc, eodem modo se habet sicut actualis intellectio aut volitio in creatis, cum hac tamen differentia, quod hic utraque ratio identificetur. Sicut etiam, si nihil aliud esset, quia actio physica unit potentiam cum effectu in actu secundo, est actus secundus physicus, ita cum actio intentionalis uniat suo modo potentiam intentionalem cum objecto, rectè censei potest actus secundus intentionalis, & alter conceptus, actus primus. Reliqua ad hanc rem spectantia supra posita sunt, cum de Scientia Dei, Disp. 4. sect. septima.

SECTIO TERTIA.

An amor, quem erga seipsum habet Deus, sit amor strictè dictus.

*I. Status questionis.*

I. DIXIMUS sect. primâ Deum, se suasque perfectiones intucendo, non quoad specificationem tantum, sed exercitium, ad se diligendum necessitari, utpote bonum in omni genere simpliciter infinitum; quod proinde rapit voluntatem, & in sui amore indefinenter detinet. Difficultas ergo prærens est, utrum hic Dei in seipsum amor sit propriè ac strictè dictus talis; an lato tantum modo amoris nomen sortiatur.

*II. Amare est velle alicui bonum.*

II. Notandum ex Aristotele, 2. Rhetor. cap. 4. & Philosophis communiter, Amare, generatim sumptum, esse, velle alicui bonum; alicui, inquam, ut denotetur, posse quempiam & se amare, & alium. Quando autem amico vult bonum aliquod, amor ille, ut ad rem volitam, quam finem cuius gratiâ appellant, terminatur, est amor concupiscentia: ut verò in personam fertur, ex cuius complacentiâ hoc ei bonum vult, quæ proinde persona est finis cui, actus ille est amor amicitia: ita ut uterque hic finis in omni actu amoris intervenire debeat, ut docet S. Thomas 1. p. q. 20. a. 1. ad 3. & benè declarat Vasquez hic, disp. 84. cap. 2. num. 6.

*III. In quo sensu sit conceptus amoris strictè dicti, ut distinguitur à gaudio & desiderio.*

III. Hic porro conceptus, licet sit amoris propriè dicti, ut amor proprius opponitur ficto aut metaphorico; quo sensu loquitur S. Thomas citatus ad tertium, dum ait, amare aliquem esse velle ei bonum: non tamen in hoc consistit amor specialis, & strictè dictus, de quo hic est sermo, seu prout distinguitur à gaudio & desiderio; per hos siquidem etiam animi affectus verè alicui volumus bonum. Desiderium ergo fertur in bonum absens, quod vult quis amico, supposito quòd bonum illud sit absens. Gaudium è contra, in bonum illud fertur ut est prærens, complacendo scilicet in illo jam possessio. Amor denique strictus, et si fertur etiam

in existentiam rei, non tamen supponendo eam esse, vel non esse, sed secundum se, præcindendo scilicet ab hoc quòd sit, vel non sit prærens. Hoc ergo sensu quærimus, sit néene amor strictus in Deo respectu perfectionum suarum intrinsecarum & necessariarum.

Recentiores quidam actum illum, quo Deus amat se & perfectiones suas intrinsecas, esse simul aiunt amorem strictum, & gaudium: amorem strictum, quatenus fertur affectus ille in prædicata Dei essentialia secundum se; qui, inquit, est conceptus amoris strictè dicti: deinde, cum unum ex prædicatis Dei essentialibus sit existentia, utpote qui est ens per se necessarium, est etiam actus ille formalissimè gaudium, quippe qui fertur in rem existentem ut existentem.

Hæc quæstionis resolutio admitti posset, si esset cuique integrum hanc vel illam amoris naturam ac definitionem statuere pro libito, & novas definitiones suo arbitratu cudere. Stando verò definitioni amoris à S. Thoma, & Philosophis tradita, passimque in Scholis admittæ, non subsistit: nullus enim hæcenus dixit, in eo situm esse amoris conceptum, quòd feratur in prædicata rei essentialia; sed quòd ita in rem aliquam feratur, ut abstrahat à boni, quod ei vult; præsentia, in quo differt à gaudio; & ab eisdem boni absentia, in quo distinguitur à desiderio: nam & gaudium, & desiderium, omnisque adeo animi affectus fertur etiam in prædicata essentialia: & amor similiter in existentiam, ut ostensum est, licet non supponendo illam vel esse, vel non esse, ut alii duo actus supponunt.

Mihi hæc in re probabilis videtur cum P. Erice d. 13. & aliis, non esse in Deo propriè affectum amoris erga seipsum, & perfectiones necessarias. Ratio est, quia hic affectus in Deo, prout terminatur ad bonitatem propriam Dei, non abstrahit à præsentè, & non præsentè, sed necessariò fertur in illam ut præsentem & possessam: unde est actus gaudii, non amoris propriè dicti: nec enim minus ratio boni possessi & præsentis concepti semper & necessariò ad præsentis (quale Deus semper videt esse suam bonitatem) tollet rationem amoris, quam eandem tollit ratio boni absentis, cogniti tantum ut absentis. Unde sicut hæc sola ratio cognita facit actum desiderii, ita illa actum facit gaudii; hæc enim, ut vidimus, est notio gaudii passim ab Aucto-ribus tradita.

SECTIO QUARTA.

Argumenta contententia, amorem Dei in seipsum, esse amorem strictè dictum.

DICES primò cum P. Suario lib. 3. de Attrib. Dei positivis, cap. 6. & aliis, gaudium præsupponere semper amorem, sicut & dolor supponit odium: ideo enim de bono alicujus gaudemus, quia est amicus, sive quia ipsum amamus: nec enim gaudent homines de bonis inimicorum. Respondet, contingere quidem plerumque, ut actum gaudii de bonis alicujus præcedat complacentia in illius personâ: hoc tamen non est semper necessarium, sed sufficit quòd apprehendatur persona ut digna gaudio de illis intrinsecis, quæ ipsi esse cernimus, & nulla vel prius, vel tunc sit causa offensionis & inimicitia: ipso factò enim potest de bonis ejus gaudere,

*IV. Dicunt autem qui amorem Dei in seipsum, esse amorem strictè dictum.*

*V. Quo patet inter se differre amorem, desiderium & gaudium.*

*VI. Probabilis est, affectum hunc Deo erga seipsum, non esse amorem strictè dictum.*

*I. Gaudium de bonis alicujus, amoris præcedit, non tamen semper.*

gaudere, & per hoc gaudium ( qui verè actus amoris est, cum velit illi bonum, licèt non amoris stricti ) ipsum primò in amicum adsciscere.

II. Ad dolorem non semper requiritur ut processerit actus odii.

Neque etiam ad dolorem semper requiritur, ut processerit actus odii circa rem illam, sed sufficit applicari vel proponi objectum doloriferum; unde & primus actus circa illud poterit esse actus doloris. Quando autem elicit quis actum amoris stricti, circa bona quæ videt actu à se, vel ab amico esse possessa, hoc fit ex vi alicujus actus intellectus, quo representantur bona illa secundum se, seu abstrahendo ab eo quòd actu sint, vel non sint possessa: Deus autem hujusmodi cognitionem de suis bonis & perfectionibus intrinsicis habere nullo modo potest.

III. De objecto creato potest Deus habere simul amorem & gaudium.

Respectu quidam objecti creati, videtur posse Deum habere simul amorem & gaudium, ut si producat creaturam ab aeterno; tunc enim actus quo vult ad sui gloriam producere creaturam illam, Angelum exempli gratià, ab aeterno, est amor sui, utpote cui vult bonum illud extrinsecum: hic enim actus voluntatis non regulatur ab actu intellectus representante Angelum illum ut absentem, cum revera absens non sit sed semper præsens, & consequenter non est desiderium, nec etiam regulatur ab actu intellectus representante Angelum ut præsentem, quia fit præsens tantum per actum & decretum: ergo nullus actus in intellectu divino precedens hoc decretum, potest ipsum representare ut præsentem; ergo præcindit pro illo priori à præsentia & absentia Angeli; ergo est amor propriè dictus: ad hoc enim non requiritur ut abstrahat à præsentia & absentia personæ seu finis Cui; Deus quippe nequit se hoc modo cognoscere; sufficit ergo quòd abstrahat à præsentia & absentia rei, quam vult illi personæ.

Ad amorem requiritur ut abstrahat à præsentia rei, non personæ.

IV. Deus de rebus creatis gaudium simul habere potest & desiderium.

Addo ulterius cum Vasquez Disputatione illà octuagesima quartâ, & Ericæ hic, disput. decimæ tertîâ, capite quinto, numero trigésimo-quarto, posse Deum de bono aliquo creato habere simul gaudium & desiderium: desiderium inquam, non eo modo, quo nos res absentes desideramus, cum anxietate scilicet & solitudine, sed habendo actum, qui feratur in rem absentem ut absentem. Probatur: potest Deus rem creatam ab aeterno representare ut sibi absentem, sicut durationes rerum quæ jam existunt, ab aeterno hac ratione representabat, imò & res ipsas; & consequenter potest in eas actu voluntatis ferri ut in absentes, & postea per scientiam visionis videns jam positas, seu ponendas à parte rei, & consequenter pro suâ differentia temporis possessas, de iisdem potest gaudere.

V. Sicut vera hæc propositio: Deus ideo gaudet de suis bonis intrinsicis, quia se amat.

Dices secundò: hæc est vera propositio causalis: Deus ideo se amat, quia de se gaudet, ergo sunt in Deo hi duo affectus ratione distincti. Respondeo: si sermo sit de speciali & stricto amore, utramque propositionem esse falsam, cum sit de subiecto non supponente. Sin autem sermo sit de vero amore, licèt non stricto, tam vera est una propositio quàm alia, neutra tamen est propriè causalis, nisi ad summum causalitate formali, quo genere propositionis causalis, valet à definitione ad definitum, & è contrà. Quæ tamen non est vera causalitas, sed concomitantia.

VI. Dices: Beati & amor erga Deum,

Dices tertio: Beatos in cælo habere duos affectus voluntatis, ortos ex visione beatificâ, amoris alterum erga Deum, alterum, gaudii de R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

bonis illis intrinsicis quæ ab ipso vident possideri, & tamen per visionem beatificam videre nequeunt Deum, nisi ut existentem, sicut nec bona ejus intrinseca cernere possunt nisi ut actu ab eo possessa, ergo, &c. Respondeo cum Ericæ capite quinto, numero trigésimo-nono, & aliis effectum illum Beatorum in Deum visum, ut existentem, & perfectiones ejus intrinsecas, esse gaudium, & non amorem strictè dictum: esto enim, nihil frequentius quàm Beatos amare Deum; sensus tamen est, vero illos voluntatis affectu in eum ferri, licèt affectus ille non sit amor strictè sumptus, & prout distinguitur à gaudio. Sicut namque, ut benè dicit Ericæ citatus, cui deest ratio communis hominis, animal exempli gratià, non potest esse homo, ita cui deest ratio communis amoris specialis, respicere scilicet bonum; abstrahens ab actuali possessione, non potest in eo dari amor specialis. Dixi, respectu Dei & bonorum ejus intrinsicorum, quæ Beatus actu videt ab eo possideri; de aliis enim potest & amor strictus & desiderium à Beatis elici secundum diversas bonorum illorum propositiones.

Et gaudium de bonis illis intrinsecis habet.

Ostenditur affectum Beatorum in Deum non esse amorem strictè dictum.

Dices quartò: Nec viatores secundum hunc dicendi modum, amare posse Deum amore stricto, cum amor Dei supponat fidem, fides autem representat Deum ut existentem. Respondeo, vel sermo est de amore Dei in se, seu de affectu quo ipsi velimus perfectiones illas suas intrinsecas, & hic etiam est gaudium; vel loquimur de amore quo illum volumus nobis, & hoc sensu possumus in eum & amore stricto ferri & desiderio, quatenus scilicet, esto representemus Deum semper ut existentem, adhuc tamen vel præcindere possumus ab actuali illius possessione per visionem beatificam, vel etiam considerare eam ut actu non habitam, sed absentem: prior actus fundare potest amorem strictum, cum Deum nec ut possessum representemus, nec ut non possessum.

VII. Affectu duplici in Deum feruntur viatores, amor stricti, & gaudium.

Dices quintò: In hac sententia non posse nos, amicos prosequi amore strictè dicto, cum in eos feramur ut existentes, & redamantes. Respondeo, tripliciter nos habere nos posse circa amicos, & secundum tres diversas eorum considerationes, tres etiam diversos oriri posse in voluntate affectus. Considerare itaque primò possumus hominem aliquem nobis nondum amicum, & sic per desiderium expetere nobis ejus amicitiam: possumus deinde eundem considerare ut abstractentem vel ab existentia, vel conjunctione nobiscum in amicitia, & hoc modo cum strictè amare: tertio, concipere eum possumus ut existentem, & nobis amicum, seu amicitiam ejus ut à nobis jam possessam, & hic actus tantum excitat affectum gaudii, ut ostensum est. Per quæ patet ad objectionem.

VIII. Triplex exerceri affectus, potest ab hominibus in amicos.

SECTIO QUINTA.

*Vtrum, & ad quæ, detur in Deo appetitus innatus.*

**I.** *An detur in Deo appetitus innatus.* **Q**UÆSTIO hæc, & parvi momenti est, & tota ferme de modo loquendi, eaque de causâ non est illi diuinus inherendum.

**II.** *Quid sit appetitus innatus.* Ut verò clariùs procedamus, notandum, appetitum innatum, ut supra dictum est, Disp. 13. sect. 2. esse propensionem alienius ad bonum suum. Hæc porrò propensio, ut propriè constituat appetitum innatum, videtur distinctionem realem à re, quam appetit, requirere; nihil quippe appetit seipsum.

**III.** *Pater æternus habet appetitum innatum ad producendum Filium.* Hinc infero primò, Patrem æternum habere appetitum innatum ad Filium, & generationem passivam; ab his namque realiter distinguitur. Idem est de Patre & Filio respectu Spiritus Sancti, & Spirationis similiter passivæ; eadem enim utrobique est ratio.

**IV.** *Omnipotentia habet appetitum innatum ad creaturas.* Infero secundò, Omnipotentiam in Deo habere propensionem innatam, seu appetitum ad communicandum se creaturis. Ratio est: in primis enim hic intercedit distinctio realis: deinde creaturæ sunt aliquo modo bonum Dei, utpote quas producendo, virtutem suam ostendit, & administrando, sapientiam.

**V.** *Distinctio virtualis non fundat appetitum innatum propriè dictum.* Infero tertio: In iis inter quæ in divinis datur distinctio tantum virtualis, non reperitur appetitus innatus propriè dictus; defectu scilicet distinctionis, quam ad huiusmodi appetitum requiri diximus realem. Essentia itaque respectu Paternitatis, intellectio respectu volitionis, &c. non habent appetitum innatum, nisi ad summum virtualem. Ratio est, nam, ut supra diximus, quo passu distinctio, eodem procedit appetitus; ad appetitum itaque realem necessaria est distinctio realis, ad virtualem sufficit virtualis.

**VI.** *Vbi nulla distinctio, nullus appetitus.* Infero quartò: Ubi nulla est distinctio, nullum esse appetitum. Malè ergo asserunt nonnulli in intellectu ad seipsum, & in volitione etiam ad seipsum, dari appetitum innatum: inò hoc idem affirmant de iustitiâ, misericordiâ, & reliquis Dei Attributis, quæ omnia dicunt habere appetitum innatum ad seipsa. Sed contrâ: quamvis namque omnes in sole appetitum innatum statuunt ad lucem, in igne ad calorem, &c. nullus tamen in sole appetitum statuit ad seipsum, nec in re ullâ ad aliquid à se non distinctum.

**VII.** *Volitio terminata ad Omnipotentiam, non habet appetitum innatum ad illam.* Dices: Volitio divina terminari potest ad iustitiam, vel omnipotentiam: Deus enim, ut Sectione primâ diximus, amat se, & perfectiones suas intrinsecas; ergo volitio Divina habet appetitum ad illas, cum tamen ab eâ realiter non distinguantur; ergo dari potest appetitus innatus ad aliquid non distinctum. Respondetur primò: inter volitionem & Iustitiam, ac reliqua Attributa, dari distinctionem saltem virtualem; hæc autem, ut numero quinto dixi, sufficit ad appetitum innatum virtualem fundandum; alia autem inter hæc non reperitur.

**VIII.** *Appetitus innatus & elicitus in quo distinguantur.* Respondetur secundò: Volitionem divinam terminatam ad Omnipotentiam, Iustitiam, & reliqua Attributa, esse ad modum appetitus potius eliciti, quam innati; ad ea enim terminatur tanquam ad objecta, & intentionaliter, non ex inclinatione & quasi pondere naturæ. In hoc ergo, inter alia, differunt appetitus innatus & elicitus;

quod hic essentialiter requirat potentiam intentionalem, ut intentionalem, modòque semper intentionali in terminum tendat, tanquam in objectum: appetitus verò innatus, etsi interdum sit etiam actus intentionalis, non tamen tendit intentionaliter, nec terminum respicit ut objectum, sed modo rebus intentionalibus & non intentionalibus communi.

Exempli gratia, actus voluntatis quo homo quispiam appetit divitias; hic, inquam, actus, respectu variorum, & secundum diversum modum tendendi, est & appetitus elicitus, & innatus. Respectu itaque divitiarum, in quas tendit intentionaliter, & tanquam in objectum, est appetitus elicitus; at verò prout respicit suam durationem, ubicationem & alias affectiones sibi connaturaliter debitas, est appetitus innatus. Unde etiam infero, actum voluntatis, quando supra se reflectit, esse respectu sui appetitum elicitem, non innatum, ob rationes jam allatas.

SECTIO SEXTA.

*Vtrum amor quem erga seipsum habet Deus, sit amicitia, an concupiscentia.*

**A**D hujus decisionem quaestionis, notanda differentia inter amorem seu affectum concupiscentia, benevolentia, & amicitia, quam optimè declarat P. Erice hic, tract. secundo, Disputatione decima-quartâ, cap. 3. Amor ergo *Concupiscentia* est affectus quo nobis ipsis aliquid amamus, & in illud tendimus ut est bonum nostrum, in proprio scilicet commodo sistendo; ut cum quis doctrinam desiderat, non quòd per eam prodesse aliis possit, sed quia ipsi bona est & commoda. *Benevolentia* est actus quo alteri bonum volumus quia illius bonum est, ex affectu nimirum erga eum, & complacentiâ in illius personâ. *Amicitia* denique idem affectus est cum benevolentia, sed amorem reciprocum requirit, & ut persona amata amantem redamet, estque *mutua benevolentia*: quo sensu dixit Aristoteles 9. Ethic. cap. 5. & S. Thomas 2. 2. quaest. vigesima-septimâ, artic. secundo Corp. benevolentiam esse initium amicitia, seu amicitiam inchoatam: habent se proinde amicitia & benevolentia ut includens & inclusum.

Hinc ad quaestionem respondeo, amorem, quem vel Pater æternus, vel alia Divina Persona ad seipsam habet, sibi que per actum complacentiæ vult sua bona intrinseca, non esse amorem amicitia. Ratio est clara; ad amorem enim, secundum omnes, requiritur distinctio, seu alteritas: Pater autem non distinguitur, nec est alter à seipso.

Si verò sermo sit de amore Patris æterni erga Filium, & universam unius Personæ Divinæ erga aliam, P. Erice citatus negat num. decimo-octavo, amorem illum esse affectum amicitia, defectu etiam alteritatis: ad amicitiam namque, inquit, requiritur distinctio, non personalitatum, sed naturarum. Ait itaque ad amicitiam, per accidens se habere distinctionem Personarum, per se verò requiri distinctionem naturarum, sicque addit, si duæ naturæ terminarentur eadem personalitate, posse inter eas intercedere amicitiam. Quæ sententia mihi videtur amplectenda. Nonnulli tamen consent, ad amicitiam sufficere distinctionem personalitatum.

Ratio

**IX.** *Exemplo de claratur differentia inter appetitum innatum & elicitem.*

*Volitio respectu appetitus innati, est elicitem.*

**I.** *An Deus amet amicitia.*

*Quomodo differant Concupiscentia, benevolentia, & amicitia.*

**II.** *Amor Patris æterni ad seipsum, non est amor amicitia.*

**III.** *Non etiam amor unius Personæ Divinæ erga aliam, est propriè amicitia.*

IV. Ad amicitiam requiritur redamatio.

Ratio autem nostrae sententiae est: ad amicitiam enim, ex communi omnium consensu, requiritur redamatio, seu amor reciprocus, & ut persona amata, hujus amoris, alio amore respondeat: at in Patre aeterno, & Filio, eadem est voluntas & amor, & consequenter non distinctio amorum, sicque nec redamatio proprie dicta, nec amicitia.

V. Sitne amor Dei ad se dicendus amor concupiscentiae.

Uterius inquireret aliquis, si hic amor non sit amicitia, quis demum affectus sit? P. Erice n. 12. ait nec esse amorem amicitiae, nec concupiscentiae, sed affectum quendam medium, quem tamen numero 13. ait vocari posse concupiscentiam virtutalem. P. Arriaga hic, Disputatione vigesima-quarta, sectione quarta, subsec. secundâ, num. 28. affectum illum Dei ad Divinas Personas absolute vocandum censet amorem concupiscentiae.

Ego amorem illum quo Persona aliqua Divina, sibi bona sua amat, existimo vocari posse concupiscentiae, seu charitatis propriae, cum non omnino sit ad alterum: Pater enim, esto realiter à Filio, & Spiritu Sancto distingatur, à seipso tamen nullo modo est distinctus. Circa amorem verò illum quo una Persona fertur in aliam, Pater, exempli gratia, in Filium, puto nec esse amicitiam, ob rationem numero secundo & tertio, assignatam: nec etiam proprie concupiscentiam; non enim est usquequaque charitas propria; quamvis namque Pater quoad naturam identificetur cum Filio, realiter tamen etiam ab eo distinguitur. Tantum ergo deest huic actui de ratione amoris concupiscentiae, quantum Pater differt in omnimodâ identitate cum Filio.

VI.

Diversa ratio amoris unius Personae Divinae erga se, & erga aliam Personam.

# DISPUTATIO XXVII.

## De amore creaturarum.

### SECTIO PRIMA.

#### Vtrum Deus se amet propter creaturas.

I.



UPLEX hac in re est sententia: prima Durandi in tertio, dist. 27. quaest. secundâ, num. 6. ubi asserere videtur, dici nullo modo posse, Deum se propter creaturas diligere.

Secunda tamen aliorum opinio est, hoc nullam in se inordinationem aut indecentiam continere, ac proinde nihil esse cur Deo denegetur: ita P. Erice hic, tract. 2. disp. decima-quinta, cap. 3. P. Arriaga prima part. disp. 24. sect. 4. n. 30. & alii.

II. Finis duplex Qui, seu cuius gratia, & finis Cui.

Ad clariorem hujus rei intelligentiam, notandum; duplicem à Philosophis distingui finem, nempe finem *Qui*, seu *cuius gratia*, & finem *Cui*. Finis *Cui*, est res illa, vel persona, cui bonum amatur, Petrus exempli gratia, sanitatis. Finis *Qui*, seu, *Cuius gratia*, est bonum illud, quod alicui optamus, quodque per media obtinere nitimur, ut sanitas respectu Petri. Esti autem finis *Qui* ordinatur ad finem *Cui*, non tamen est medium respectu illius, cum ad illum acquirendum non ordinatur, sed est finis, & uterque integrat unum finem totalem: nec enim sanitatem in abstracto optamus, sed in Petro, sicque finis integer & adequatus est Petrus sanus, & ad eam in Petro efficiendam pharmaca velut media adhibentur. Quae fusius declarata sunt Disputatione 23. Physicâ, sect. primâ.

III. Deus amare se ipsum potest propter creaturas.

Existimo itaque cum Erice citato, & aliis, posse Deum se ut finem *Qui* amare creaturis ut fini *Cui*. Imò, de facto Deus actu aliquo amat se ut bonum creaturarum; verè enim vult creaturis rationalibus beatitudinem, & consequenter vult se illis ut bonum ipsarum summum & ultimum: hoc autem est, Deum amare seipsum propter creaturas.

IV.

Confirmatur: Homo per actum sui vult & amat Deum sibi, tanquam suum bonum: qui tamen

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

men actus tantum abest, ut aliquid in se inordinati contineat, ut fide certum sit eum esse bonum & honestum: ergo actus, quo Deus amatur homini, nihil in se continet indecori, sicque non est cur quis refugiat eum Deo concedere: quicquid enim in se usquequaque perfectum est, ac decens, Deum dedecere non potest. Confirmatur secundò: Deus revera est bonus creaturis; ergo potest se sub hac ratione amare: omnis quippe bonitas, sub omni ratione quâ amabilis est, amari potest.

Hoc ulterius ostenditur exemplo actus sui in creatis.

Dices: In huiusmodi actu apparet indecentia; non enim est usquequaque perfectus; perfectior namque est actus ille quo Deus creaturas amat propter seipsum. Respondetur, non esse quidem actum ratione nostrâ usquequaque perfectum positivè, seu omnem in conceptu suo objectivo perfectionem involvere, esse tamen usquequaque perfectum negativè, id est, nullam in se continere imperfectionem.

V.

Nulla in actu quo Deus amatur se propter creaturas, apparet indecentia.

Non est ergo necessarium ut omnis Dei actus, sive intellectus, sive voluntatis, sit usquequaque perfectus positivè, seu, ut omnem in se perfectionem ratione nostrâ complectatur, ut ostendi Disp. 22. sect. 5. num. 6. & sect. 6. num. quarto, & deinceps. Sic scientia quâ Deus cognoscit, & potentia quâ producere potest equum, non est formaliter tam perfecta ac scientia quâ cognoscit, aut potentia quâ potest producere Angelum, Realiter tamen loquendo, omnis actus divinus est etiam positivè perfectissimus, cum actus ejus omnes per conceptus nostros distincti, & separatim representati, à parte rei identificentur, sicque actus quivis, realiter loquendo, habet virtutem omnium, imò perfectionem omnem possibilem.

VI.

Non omnis actus divinus est ratione nostrâ perfectissimus.

Dices secundò: Actus quo Deus amaret se propter creaturas, esset inordinatus; inverteret enim ordinem rerum; creaturae siquidem ordinantur ad Deum tanquam ad finem, non Deus ad creaturas, quod tamè fieret si Deus se propter eas amaret. Respondetur, creaturas quidem ad Deum tanquam ad finem ultimum naturâ suâ referri, utpote ad cuius

VII.

Actus, quo Deus se propter creaturas amaret, non foret inordinatus.

gloriam